



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

5. De secessu Christi in desertum. Matt. 3

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

ctificanti, pro tam facili remedio ad tam præclaros effectus obtinendos pro omnibus instituto? Gratitude, feruor baptismalem gratiam illibatam conseruandi.

III. Christus vicissim, vt piè credi potest, Ioannem baptismo abluit, sicq; eius votum: *Ego à te debeo baptizari*, impleuit, quanta cum illius exultatione, humilitate, gratitudine? quò maioribus noue gratiæ, & cœlestium donorum fauoribus auctum se sensit, eò feruentius prædictos affectus excitauit. Zelus in his illum æmulandi.

De secessu Christi in desertum.

V.

Matth. 3.

I. **C**Hristus sic à Patre clarificatus, declinans plausum hominũ, impulsusq; Spiritus sancti sequens, statim secessit in desertum. Quanto desiderio illuc anhelarit, tum, vt liberius, absque vlla interpellatione, diuinæ contemplationi vacaret, tum, vt futuris eremi cultoribus, vitæ solitariæ & contemplatiuæ; & vitæ mixtæ sectatoribus prolixioris subinde saltè cum Deo in deuotionis exercitijs congressus instituendi luculentum exemplum daret. Gratitude, zelus in his imitandi.

H h

II. Man-

II. Mansit illic quadraginta diebus, seq; disposuit ad auspicandum prædicationis officium per continuam ab omni refectione abstinentiam, per assiduum contemplationem & orationem, per aerem cum Sathanâ colluctationem; non, quod ipse indigeret, sed, ut nos institueret, quomodo tum vniuersis veræ sanctitatis studiosis, tum præcipuè ad salutem aliorum procurandâ vocatis, a propriæ defectionis studio sit inchoandum, per assiduum diuturnumq; exercitium mortificationis & deuotionis, & per frequentes de temptationibus mundi, carnis, diaboli reportatas victorias, simulque ad hæc omnia præstanda nobis copiosam gratiam impetraret. Gratitude, zelus in his imitandi.

III. Completis his quadiaginta dierum & noctium mortificationis & deuotionis exercitijs, egressus est ex eremo aggrediendû opus prædicationis, atque ad asciscendos sibi socios & cooperatores huius sacræ expeditionis, quam inflammato zelo gloriæ Patris longè lateque propagandæ, & salutis ac perfectionis omnium promouendæ? quanta alacritate & gaudio cum præuideret, quanta ex hisce, quan-

tum.

quantumuis tenuibus principijs Evangelicæ prædicationis æterni Patris glorificatio, & tot millium animarum conuersio esset promanatura? Zelus gloriæ Dei & salutis animarum.

De perfecta fidei dignitate, proprietatibus & fundamentis.	} 6. p. med. {	VI.
De actibus fidei perfecte exercendis.	} {	VII.

Dominica V. post Trinitatem.

De Christo docente ex nauis Petri.

Luc. 5.

5. Hebdom. post Trinitatem I.

I. **C**hristus irruentes turbas docet è nauicula Petri paululum à terra reducta. Quātus ardor Christi verbi diuini seminandi, quanta deuotio populi audiendi? quomodo exultare Christus præuidens ex nauicula Petri, id est, Romana Ecclesia, inter tempestates fluctuatura, non mergenda, fidem toto orbe propagandam, simulq; tantam hominum multitudinem olim conuertendam? Zelus gloriæ Dei, & conuersionis populi.

II. *Vi cessauit loqui, dixit Simoni: duc in altū, & laxate retia vestra in capturā, quā*

H h 2

respon-